*incboare, niſi à luce?* Quaſi dicat: Debuit non à tenebris, ſed à luce inchoare vox divina, quia divina, quia Dei ipſius vox, cujus eſt proprium lucem effundere qua omnes illuminet: debuit Dei verbum lucidum eſſe ut nos doceat qualia eſſe debeant verba noſtra; nempè non niſi lucem, ſplendoremque emittentia, quibus nemo obſcuretur, ſed illuminantur univerſi.

*Pſal. 28. 4. Vox Dei ſplendidiſſima.*

1036 Hinc Pſalm. 28. verſ. 4. *Vox Domini in magnificentia.* Hebraicè *hadar*, id eſt, *in ſplendore.* R. Stephanus; *vox Domini ſplendidiſſima.* Ut quidem neminem deturpet & obſcuret, ſed omnia illuminet & illuſtret. Cui divinæ voci ſimiles ſunt voces eorum, qui Spiritu Dei aguntur. Hùc Malachiam reſpexiſſe opinor, cùm de primo Chriſti adventu

*Malach. 4. 2.*

prædixit cap. 4. verſ. 2. *Orietur vobis timentibus nomen meum Sol juſtitiæ, & ſantitas in pennis ejus.* Illud hîc dubium ingerit; quid ſit, *ſanitas in pennis ejus?* Etenim Solis pennæ, radii illius ſunt, & ſplendores, quos ocyſſimè emittit ad mundi illuminationem, fugatis tenebris. Sed arcana eſt Syriaca, & Arabica verſio illa: *& ſanitas ſuper linguam ejus.*

*Radioſa Dei lingua non niſi ſolarem lucem emittens.*

Quid hoc? Optimè ad rem noſtram pro Solis radiis, & ſplendoribus *linguam* poſuerunt, ut appareat, Chriſti linguam tam lucidam, tam ſplendidam eſſe, ut non niſi ſolarem lucem, & ſplendores emittere videatur, quibus ſanitatem omnibus impertiatur, & fulgores conciliet. Quidquid enim ille loquebatur, lux erat: tot fulgentes radios emittebat, quot verba

*Sanitas ſuper linguam.*

efformabat. Ex verbis ipſis demonſtrabatur Sol eſſe juſtitiæ, puritatis, & ſanctitatis eximiæ; quandoquidem verba erant non ad obſcurandam famam, ſed ad illuminandos univerſos. Vide Prov. 15. v. 4. *Lingua placabilis lignum vitæ.* Chaldæus; *medicina linguæ.* LXX. *ſanitas linguæ arbor vitæ.*

*Dei os illi appellati qui benè de aliis loquuntur.*

Subinde, Dei ipſius os appellantur, qui verba dant, non quibus homines inficiant, ſed quibus ſplendorem illis offundant. Jerem. 15.

*Jere. 15. 19.*

verſ. 19. *Si ſeparaveris pretioſum à vili, quaſi os meum eris.* Id eſt, ſi diſcrimen agnoſcas, ſtatuaſque inter illa, quæ vilia ſunt, ac ſordida, aliorum famam obſcurantia, & inter illa, quæ pretioſa & pura in eis apparent, *quaſi os meum eris*: quia non aliter loqueris, quàm ut ego loquor: eiſdem, quibus ego, ſermonibus uteris lucidiſſimis: *quaſi os meum eris*, à quo non niſi materies luminis, & claritatis oritur ad illuminandum. Ut enim egre-

*S. Ægidius.*

giè Sanctus Ægidius: *Qui bona loquitur, os Dei eſt: qui mala loquitur, ceu quoddam Satanæ os.* Hinc Prophetarum ora, à quibus verba vitæ fulgentiſſima emanant, Dei ora dicebantur. Iſai. 1. verſ. 20. *Os Domini loquutum eſt.* Et cap. 30. 2. *Os meum non interrogatis.*

*Cantic. 6. 9.*

1037 Canticorum 6. verſ. 9. vocatur Eccleſia *electa ut Sol.* Hebraicè *bar*, id eſt, *pura,*

*Bona lingua dicitur ſonans, electa, munda, pura ut ſol.*

*munda, lucida ut ſol.* Aquila vertit: *Sonans ut ſol.* Quod S. Ambroſius lib. de Iſaac & anima cap. 7. ita explicat: *Quod autem Aquila ait; ſonans ut ſol, videtur illa axis cæleſtis*

*S. Ambroſ.*

*converſio, ſoliſque, & lunæ, & ſtellarum curſus concentus globorum exprimi.* Certè Eccleſia ſonans ut ſol, pura, munda, & lucida dicitur; & motus illius ad inſtar cæleſtium orbium converſionis eſſe, cùm verba profert puritate, ac lumine plena, quibus univerſa, ut alter ſol, reliquaque cæli luminaria illuminet.

*Cælorum lingua ſtella Magis apparens.*

Propterea *cælorum lingua* appellatur à SS. Patribus ſtella illa, quæ Magis apparuit, & deduxerit ad præſepe Bethleemiticum, interna quidem locutione. Imò Angeli ipſi dum Pa-

*Matth 2.*

ſtores ad puerum adorandum advolant, cæleſti fulgore eos illuminantes, *lingua cælorum* loquuti dicuntur. Ita Sanctus Paſchaſius lib. 2. in Matthæum. *Paſtoribus Angeli, Magis ve-*

*S. Paſchaſ.*

*rò ſtella Chriſtum demonſtrat: utriſque loquitur lingua cælorum, utriſque cæli enarrant gloriam Dei.* Certè ut noverimus cæleſtes cives non aliâ uti linguâ, niſi quæ verba efformet alios illuſtrantia. Hinc *Angelorum lingua loqui*

*Angelorum lingua.*

apud Paulum 1. Corinth. 13. verſ. 1. nihil erit aliud, quàm verba proferre, quæ alios illuminant: nam ex communi Theologorum placito, Angelorum locutio inter ſe eſt certa quædam illuminatio.

*Actor. 2. 3.*

1038 Actorum 2. verſ. 3. dicitur de Apoſtolis & reliquis Chriſti aſſeclis in cænaculo congregatis in die Pentecoſtes: *Et apparuerunt illis diſpertitæ linguæ tamquam ignis, ſeditque ſupra ſingulos eorum.* Etenim ignis &

*Linguæ ſplendidæ ſuper Apoſtolos monent quales debent eſſe noſtræ linguæ.*

& vim habet urendi, & illuminandi. Voluit itaque Deus, ut in ſuis verba efformarentur, quæ & peccata comburerent, & defectus proximorum in cineres redigerent, qui vento dati ampliùs non apparerent; & aliorum famam omninò illuminarent. Ita ſcitè S. Leo

*S. Leo.*

in Serm. 1. de Pentecoſte, ubi ſtatuit datas Apoſtolis ejuſmodi linguas; *Ut Verbum Domini lucidum, & eloquium conciperetur ignitum, cui ad credendum intellectum, conſumendumque peccatum, & efficacia illuminandi, & vis ineſſet urendi.* Ubi obſerva in Plinio lib. 9. cap. 27. & ex noſtro Cauſino lib. de Symbolica Ægyptiorum Sapientia; ſubire in ſumma maria piſcem ex argumento appellatum *lucerna*, cui lingua ignea per os exerta

*Lingua noctu lucens.*

tranquillis noctibus relucens. Huic ſimiles debent eſſe Chriſtianorum linguæ, inſtar lucernæ, inſtar ignis, lucem & ſplendorem effundentes. Iſaiæ labiis ardens *calculus* ſeu *pruna ignita* admovetur ab uno ex Seraphinis cap. 6. 5. LXX. & alii pro *calculus* ha-

*Calculus lingua, labiis Iſaiæ applicitus.*

bent *carbunculum*; qui ad ignitæ prunæ ſimilitudinem illuminare dicitur, & in noctis tenebris lucere. Iſidorus lib. 16. Originum c.

*S. Iſido.*

13. *Carbunculi fulgor nec nocte vincitur; colore ignitus, ut carbo lucet in tenebris.* Et Abu-

*Abulenſ.*

lenſis, Exod. 28. *tenebras noctis vincit.* Candens igitur hic calculus, ſive fulgentiſſimus carbunculus Prophetæ labiis, aliàs pollutis, admovetur; ut ediſcat, quale illius os debeat eſſe, qualiaque verba proferre; nimirum quæ in noctis tenebris luceant, & omnes illuminent.

*Cantic. 4. 4.*

1039 Hùc revoces illud Canticorum 4. verſ. 4. *Sicut turris David collum tuum, quæ ædificata eſt cum propugnaculis.* Certè *propugnacula* hîc, ut ſuprà obſervavi, ſunt globuli longè lateque radiantes ad inſtar Solis,

*Eccleſia inſtar turris linguis connata luminoſis.*

quibus turris illa fulgebat; & ſicut Pharus navigantibus portum, ſic illa iter agentibus urbem Jeroſolymitanam oſtendebat. Unde multi legunt; *conſtructa ad docendum.* Biblia recens Hiſpana vertit; *fraguada para abezamientos.* Sed ad rem noſtram ſingularis eſt R. Davidis in lib. radicum, & aliorum tranſlatio: *Quæ ædificata eſt cum exciſis,* ſeu *elevatis linguarum ſimilitudinibus.* Quaſi turris illa igneis, ac fulgentiſſimis conſpicua eſſet linguis, ſummum exornantibus faſtigium, & omnia illumi-



nantibus Solis, vel globorum quoquoverſùs radiantium ad inſtar. Sed Eccleſia hîc ſpectanda, cujus collum Doctores eſſe multi ſentiunt; ad quos enim maximè ſpectat linguis fulgere igneis, quibus & peccata conſumant, & univerſa luſtrent; doceantque populum, quales debeat eſſe illius linguæ; nimirum quæ lucem pariat, & ſplendentes emittat ſermones ad univerſorum illuminationem.

*Geneſ. 8. 10.*

1040 Memineris Noeticæ columbæ, quæ poſt caligoſum cataclyſmum, *veniad veſperam portas ramum olivæ, virentibus foliis, in*

*Vir bonæ linguæ inſtar columbæ Noeticæ eſt ramum luminis ore præferentis.*

*ore ſuo.* Geneſ. 8. verſ. 10. Hunc olæ ſurculum, *Raum luminis*, meditatò nuncupavit Sanctus Hieronymus in Epiſt. 83. ad Oceanum. Enim nos ſimplices ſicut columbas debere eſſe monet mundi Magiſter, Matth. 10. verſ. 16. Verba Chriſtianâ ſimplicitate, & candore plena dare debemus: in ore noſtro non niſi *ramus luminis* apparere debet, non niſi fomenta luminis, & ſplendoris miniſtrare debemus. Quod rectè obſervavit Ambroſius in

*S. Ambroſ.*

præſenti, lib. de Noë & Arca, cap. 19 *In ore quoque non fruſtra ramulus oleæ videtur eſſe delatus, eò quòd virtus & ſapientia in ſermone ſui habeat claritatem, & ipſa ſtatim ſpecie lumen eis effulgeat.*

## SECTIO XXXVII.

*Dei bona, quæ tibi ſoli ſerviunt, neque aliis communicantur, ferè nulla cenſentur.*

1041 Ex ore, ſive intellectu divino prodiiſſe dicitur Dei Filius, uti imago bonitatis paternæ, & Verbum exprimens quidquid in Patre, quidquid Pater eſt: & ſtatim præcingi illum videas ad rerum omnium creationem; per quam creaturis, præſertim rationalibus, ſeipſum ſuaque dona communicavit: *Ego ex ore Altiſſimi prodivi. Ego feci in cælis, ut oriretur lumen indeficiens.* Quorſum hæc? Nonne Dei Filius, ab omni retrò æternitate, bonorum omnium pelagus inexhauſtum extat? Nonne ſeipſo contentus, glorioſiſſimus, beatiſſimus, ſibique ſufficiens?

*Ad ſummã Dei bonitatem ſpectat bona ſua in creaturas profundere.*

Quid opus ei erat ſuæ divinitatis theſauros oſtendere, & creaturis ſeipſum communicare? Certè cùm infinita ſit æterni Filii bonitas, atque ſuapte natura effuſiva ſui, videretur quaſi coarcta & ferè nulla eſſe, ſi in ſeipſo illam ſtagnaret, neque ad creaturas ubertim proſiliret, divitias gratiæ ſuæ copioſè, ac largiter in illas profundendo. Quod præclarè oſten-

*S. Nazianz.*

dit S. Nazian. Orat. in Nativit. Domini: *Quoniam ſummo illo Bono nequaquam ſatis erat ſua ipſius ſolùm contemplatione moveri, ſed bonum illud diffundi, ac propagari oportebat, ut plura eſſent, quæ beneficio afficerentur (id enim ſummæ bonitatis erat) mundum creavit.* Ut nos doceat, bona, quæ à Deo accipimus, ejus eſſe naturæ, ut ad alios ſuopte pondere petant effluere, & proſilire: ſi verò in nobis ſtagnentur, neque aliis communicentur, ferè nulla cenſebuntur.

1042 Matthæi 17. celſiſſimum Thaboris cacumen ſcandit Chriſtus, Petro, Jacobo, & Joanne ſtipatus; ſeſe ante Diſcipulos Magiſter transfigurat mirabili luce totus radians: ſtupet Petrus ad tantæ gloriæ ſpectaculum,

*Matth. 17.*

aitque: *Domine bonum eſt nos hîc eſſe: faciamus hîc tria tabernacula, tibi unum, Moyſi unum, & Eliæ unum.* Addunt Marcus c. 9. v. 5.

*Petrus in Thabore, boni neſcius, cùm boni natura ſit ad alios exundare.*

& Lucas cap. 9. verſ. 33. Petrum increpantes: *Non enim ſciebat, quid diceret.* Aſt quæ hæc Petri inſcientia? Certè quia ſibi uni conſulebat, & cæleſtia bona ſtagnari cupiebat, quæ in univerſos effundi, & transferri debent.

*Origen.*

*Vult evellere Chriſtum ſub colore boni* (ait Origenes relatus in Catena S. Thomæ) *ut non condeſcendat hominibus, nec veniat ad eos, nec ſuſcipiat mortem pro eis.* Preme illud, *ſub colore boni*: non enim verè *bonum* erat, ibi divina dona coarctari; ſed ſpeciem dumtaxat boni id habebat: quaſi bona illa ſic coarctata, neque ad alios exundantia, penè nulla cenſerentur, cùm *colore* tenus bona eſſent, & quædam abſque ſubſtantiâ accidentia. Et quemadmodum præter naturam accidentium eſt, ſine ſubſtantiæ adminiculo præſtare; ita præternaturale eſſet, ipſique bonorum cæleſtium naturæ quaſi violentum, alicubi ea ſtagnari; quæ ex natura ſua anhelant ſeſe in largiſſima ſpatia effundi. Hùc ſpectabat S. Paſchaſius lib. 8. in Matthæum, ubi verba Petri illuſtrans argutè fatur: *Et hoc ipſum, ut*

*S. Paſchaſ.*

*dixi, mendacium eſt; quia ſi ſic bonum eſſet, utique in eo permanſiſſent loco, nec tamen aliis ſubveniſſent.* Utique quod Petrus dixerit, *bonum eſt nos hîc eſſe*, mendaciter dictum arbitratur, *mendacium* eſſe putat, non formale, ut ajunt, ſed materiale: *mendacium* eſſe putat, id eſt, fucatum bonum ſub colore boni, non verè, non verum bonum: veri enim boni proprium eſt, non uni tantùm deſervire, ſed ad omnes exundare ſuopte pondere.

1043 Conſiderat Deus primum Hominem omnibus humanæ naturæ, & divinæ gratiæ ornamentis venuſtatum; condiderat quaſi opus exquiſitiſſimæ, abſolutiſſimæque ſapientiæ; opus ſupremæ potentiæ, ſingulariſque bonitatis: condiderat quaſi mundi Dominum, ac Magiſtrum, Angelorum ſocium, imaginem & ſimilitudinem divinæ majeſtatis, filium omnipotentis Dei, & hæredem theſaurorum ejus. Dumque in horto ſolitarius ille

*Cur bonum non erat, hominem eſſe ſolum?*

ambularet, & delicias ſibi à Deo datas attonitus contemplaretur, intuitus eum Dominus dixit apud ſe: *Non eſt bonum, hominem eſſe ſolum: faciamus ei adjutorium ſimile ſibi.* Ita-

*Gen. 2. 22.*

que, immiſſo ſopore in Adam, *ædificavit Dominus Deus coſtam, quam tulerat de Adam, in mulierem, & adduxit eam ad Adam.* Geneſ. 2. 22. Quid hoc? Cur bonum non eſſet hominem eſſe ſolum? Imò verò etiam melius ei fuiſſet ſolitariam vitam degere; cùm illum ſocia Eva in errorem traxerit, induxerit ad peccandum, factaque fuerit auctor ruinæ totius humani generis. Sanè cùm tot naturæ, & gratiæ donis ornatiſſimum Deus Adamum, non

*Voluit Deus, ut bonorum ſuorum Adamus conſortes haberet.*

ut in ipſo ſtagnarent, ſed ut in poſteros omnes transfunderentur (ea enim eſt donorum, præſertim ſupernaturalium, conditio) minimè putabatur bonum ſolitarium eſſe; ideo Eva fabricatur tantorum bonorum conſors, ſine qua nec bonum homini eſſe vitam agere, nec bona illa, quibus ipſe exornabatur, verè Dei bona dicerentur. Ideò dicitur; *Non eſt bonum, hominem eſſe ſolum.* Sic expen-

*S. Baſil. Seleucus.*

dit Sanctus Baſilius Seleucus in Orat. 2. *In tanta bonorum affluentia agens Adamus, non habebat, cui eam felicitatem communicaret; carens autem voluptatis ſuæ conſorte, imperfectiori lætitiæ ſenſu capiebatur.* Et licèt Mulier abuſa ingenii ſui libertate peccaverit, & peccaturam prænoverit Deus; maluit tamen

Evam eſſe, cui Adamus bona communicaret, quàm unum ſolùm Adam, qui liber eſſet à cauſa peccati: quaſi plus moverit Deum ipſa ſuorum bonorum communicatio, quàm peccati ipſius averſio. Data enim Eva Adami conſors, tametſi ei peccati cauſa dabatur, dabatur tamen in adjutorium ſimile ſibi; *adjutorium, inquam*, (ut cum Ruperto loquar) *ad multiplicandam prædeſtinatam progeniem ſanctorum.* Sic bona extitit Evæ fabricatio; ſic bonum non erat, hominem eſſe ſolum; ſolus enim ille agens in bonis, bona ejus ferè nulla eſſent, cùm eorum communio deeſſet, quæ Dei donis ſplendorem conciliat bonitatis.

Rupert.

*Deus bona elargitur ſua, ut in alios profluant; ſecùs non Dei bona.*

Matt. 25. 14.

1044 Non eſt parabola talentorum, quæ data à Domino Deo ſunt ſingulis ſervis ſua; alii quinque, alii duo, alii unum. Matth. 25. verſ. 14. Ejuſmodi talenta, *bona Dei* appellat Chriſtus Dominus: *Sicut cùm homo peregrè proficiſcens vocavit ſervos ſuos, & tradidit eis bona ſua.* Omnia gratiæ, quam vocant, gratis datæ genera, & illam præſertim, quæ gratum facit, non pauci interpretantur; qui *ſervos*, omnes homines Chriſtianos, etiam intelligunt. Cùm diſtribuuntur hæc gratiæ dona inter ſervos, & ipſi ea accipiunt; *Dei bona* ſunt, & dicuntur; cùm autem Dominus talentorum venit, & diligenter actiones examinat, numeratque negotiationis lucra, illorum dumtaxat talenta *bona* appellantur, qui in illis negotiati ſunt; à talentis enim multiplicatis dicuntur ipſi *ſervi boni & fideles.* Ejus verò talentum, qui nihil in illo negotiatus eſt, ſed in terra ſepelivit, non bonum, ſed *malum* nuncupatur; à talento quippe ſepulto dicitur ipſe, *ſervus malus, & piger.* Quid hoc? Nonne integrum talentum reddidit, quod à Domino acceperat? Unde *malum* talentum modò eſt, quod antea *bonum* erat? Aperit eleganter Anaſtaſius Epiſcopus Nicænus in Quæſtionibus, q. 84. *Exiſtimo* (ait) *talentorum parabolam dictam eſſe de omni bono Dei; ut ſinguli, quam gratiam à Deo habere didicerint, eam multiplicent ad operationem, & utilitatem plurimorum: nemo enim eſt, qui non ſit particeps Dei gratiæ. Quamobrem qui qualemcumque Dei gratiam poſſederit ad ſolum ſuum uſum, & non etiam aliis benefecerit, condemnabitur, ut qui talentum abſconderit.* Itaque Dei talenta, Dei bona & dona cùm ad id nobis dantur, ut fructum proximis etiam parturiant, & communicentur; talenta, quæ hoc fructu ſalutis carent, emortua talenta ſunt in terra ſepulta, ferè nulla ſunt, non Dei, non bona talenta ſunt. Talenta enim, quæ verè Dei dona ſunt, non ſtagnare in nobis, non ſepeliri amant, ſed aliis communicari. Lege Chryſoſtomum Homil. 79. in Matthæum.

Anaſt. Nicænus.

1045 Poſt creatum cælum & terram, & aquarum molem, dicitur lux primigenia eodem die durante condita à Deo, quam & ipſe conditor illicò mirum in modum commendavit à bonitate, pulchritudine, decore, amœnitate, & utilitate. Gen. 1. 4. *Et vidit Deus lucem quòd eſſet bona.* Ubi communiter Eccleſiæ Patres addubitant; quid hoc ſit? Num ſubitò vidit Deus lucem, & novit quòd eſſet bona? Minimè gentium: nam antea id noverat, & in intellectu divino lucebat quaſi in rerum omnium Idea. Cur ergo lux non antea laudibus affecta, quàm re ipſa producta? Cur poſt ejus dumtaxat productionem *bona* prædicatur à Deo? Certè dum lux illa in intellectu & Idea divina erat, ibi ſplendere ſolummodò, & ſibi tantùm illucere viſa eſt; unde tunc ab omnimoda bonitate nequaquam commendatur: at verò ſtatimque non ſibi ipſi modò, ſed aliorum etiam utilitati cœpit deſervire, omnia longè latèque illuminans, tunc Deum ſibi prædicatorem tantæ bonita tis habuit, qui diceret: *O bona lux!* Sic argutè excogitavit S. Baſilius Ho. 2. in Hexa. *Jam verò, inquit, quòd loco præſenti inducitur Dei judicium, non eſt uſquequaque ſpectantis ad eam quæ ex illius pulchritudine in contemplantes reſilit oblectationem ſed veriùs proſpicientis utilitati ex eadem luce ad poſteros perventuræ.* Conſonat S. Ambroſius in lib. 1. Hexam. c. 9. *Vidit quia bona eſt, non ex parte Dei, ſed ex generali judicium eſt. Itaque non in ſplendore tantummodò, ſed in omni utilitate gratia luci probatur.* Eatenus igitur bona lux prædicatur, quatenus in aliorum utilitatem ſeſe effundit; niſi enim alios illuminaret, bona non eſſet, imò lux non eſſet. Hinc deducitur, ſimillima appellari luci lucernæque, Spiritus ſancti dona; quia ut verè Dei dona ſint, in alios effundi debent; ſi verò tibi illi deſerviunt, neque aliis communicentur, ferè nulla cenſebuntur. Matth. 5. 14. *Vos eſtis lux mundi.* & v. 15. *Neque accendunt lucernam, & ponunt eam ſub modio, ſed ſupra candelabrum ut luceat omnibus qui in domo ſunt.*

Geneſ. 1. 4.

*Non in ſplendore tantùm, ſed in omni utilitate gratia lucis dilaudatur à Deo.*

S. Baſil.

S. Ambroſ.

Matt. 5. 14. & verſ. 15.

## SECTIO XXXVIII.

*Proprium ſapientis munus eſt doctrinâ ſuâ Mundum illuminare, & fœcundare.*

1046 VIxdum æterna, & Incarnata Sapientia dixerat, ſe ex Paterno ore & corde prodiiſſe, uti Dei Verbum notionale, uti Filium ſapientiſſimum: cùm ecce tibi ad totius orbis illuminationem, & fœcunditatem ſtudioſè accingitur; ad lucis nempe creationem omnia illuminantis, & nebulæ, ſive aquarum nebuloſarum terram operientium, & fæcundantium productionem: *Ego ex ore Altiſſimi prodivi. Ego feci in cælis ut oriretur lumen indeficiens; & ſicut nebula texi omnem terram.* Quid mirum ſi adeò eſt ſapientiæ, & ſapientis proprium, doctrinâ ſuâ mundum illuminare, & fæcundare? Hùc ſpectat Siracides noſter c. 1. loquens de perſonali Dei Sapientia, quæ propria eſt Verbo, ſive Filio Dei; vel etiam de Chriſto Domino, qui incarnata eſt Dei Sapientia: *Fons ſapientiæ Verbum Dei in excelſis.* Certè fons vitæ, & luminis, cum intuitu ad illud Pſal. 35. 10. *Apud te eſt fons vitæ, & in lumine tuo videbimus lumen.* Ubi ex communi Patrum interpretatione appellatur Chriſtus & fons vitæ, & fons luminis. Subtexit Siracides: *Unus eſt Altiſſimus* (Græcè, *unus eſt ſapiens*) *creator omnium* &c. *Ipſe creavit eam* (nempe Sapientiam Incarnatam) *& effudit illam ſuper omnia opera ſua.* Syrus & Arabicus pro *creavit eam*, transferunt, *manifeſtavit eam, patefecit eam, revelavit eam*; eam quidem inſtar fontis vitæ & luminis, inſtar imbris vel torrentis copioſiſſimè in univerſas creaturas, præſertim homines, effundendo. Hoc enim Chriſtianæ ſapientiæ, & ſapientum proprium eſt, doctrinâ ſuâ mundum illuminare, & irrigare. Et quicumque hujus divinæ ſapientiæ participes ſunt, non illam in ſeipſis, ſed ad omnes derivare, toto pectore incumbant.

*Dei ſapientia effuſa ſuper omnia opera ſua.*

Eccleſ. 1. 15.

*Ut aqua ex fonte, ut lux à ſole.*

Pſal. 35. 10.

1047 My-



*Cherubini ſapientiæ fluenta à Deo accepta in alios derivant.*

1047 Myſtica illa Ezechielis animalia *Cherubini* appellantur, id eſt, *Magiſtri, cognitionis*, aut *ſcientiæ multitudines*, ut teſtantur communiter Patres, & ſacri Interpretes. Tribui nomen hoc Angelicis illis ſpiritibus, Bernardus arbitratur lib. 5. de Conſiderat. ad Eugenium c. 4. quia ſapientiæ plenitudinem à Deo ipſo immediatè hauriunt, non ut in ſe illam ſtagnent, ſed ut ad reliquos effundant. *Putamus*, inquit, *Cherubim ex ipſo ſapientiæ fonte, ore Altiſſimi haurientes, & refluentes fluenta ſcientiæ univerſis civibus ſuis.* Cæterùm ſunt non pauci qui in his myſticis animalibus agnoſcunt Eccleſiæ Doctores, & ſapientes, *Cherubinos* à Magiſterio, & ſcientiæ plenitudine appellatos. Cùm igitur hoc cordato cuique viro certum eſſe debeat; expendamus breviter, quæ de his Cherubinis ſacer exprimit Vates c. 1. Inprimis currum gloriæ Dei vehebant, & in curru ipſam Dei incarnatam Sapientiam ſub ſpecie hominis ex electis efformati, quod *chaſmal* Hebraicè dicitur, & Hebræis Cabaliſtis eſt *Meſſias, Chriſtus*: in cujus interna, ſive media parte hinc inde ardere conſpiciebatur ingens quædam lux: deorſum verò à medio corpore vivus ignis apparebat. Certè ingentis hujus lucis, & vivi ignis ſplendores, ſplendidiſſima & ignita Chriſtianæ ſapientiæ lumina à Chriſto in ipſos Eccleſiæ Doctores derivata mihi ſunt. Propterea Cherubinis aſpectus eſſe dicitur *quaſi carbonum ignis ardentium, & quaſi aſpectus lampadum*: quia ſibi ardere debent, & aliis lucere.

S. Bernard.

*Sic Eccleſiæ Doctores, ad quos ſpectat currus Ezechielis Cherubicus.*

*Idea illius currus.*

1048 Rurſus quadriformis erat hæc Cherubinorum pictura: erant enim cuique facies quaternæ ad quatuor partes eorum, totidem mundi plagas directò reſpicientes: quatuor ſaltem pennæ, quatuorque manus unicuique & pennati vel ipſi etiam illorum pedes ſine vertebris. Ducebant animalia rotas quatuor; quarum unaquæque ex duabus invicem conſertis, in Crucis formam ad angelos rectos, coaleſcebat, ita ut eſſet illis plagas mundi quatuor versùs rotandi facultas. Ac demum aderat ipſis Cherubinis nubes magna ſplendens, & pulchra, imbrifera, & ignifera. Ingens ſanè rerum apparatus. Quorſum igitur hæc? Eò putaverim ſpectare, ut quod proprium eſt ſapientum munus, ſymbolicè oſtendatur. Cùm enim illi ab ipſa incarnata Dei Sapientia multitudinem ſcientiæ, omneſque theſauros, ac lumina ſapientiæ ubertim hauriant; nihil ei potius & antiquius eſſe debet, quàm acceptâ doctrinâ mundum univerſum illuminare, irrigare, & fæcundare. Cordi hoc illis erat Cherubinis verè Eccleſiæ Magiſtris, dum ocyſſimè versùs omnes mundi plagas gradiebantur; ſibi ardentes, & aliis lucentes, omnia illuminabant irrequieto lampadum ſplendore: incarnatæ Sapientiæ, & Evangelii lumina quoquo versùs effundebant: atque imbrifera doctrinæ nube omnes orbis terrarum oras irrigabant, & fæcundabant; ſecum teſtamentum novum & vetus quaſi rotam in medio rotæ deferentes. Quò ſpectat S. Gregorius lib. 1. ſuper Ezech. Homil. 3. *Facies, & pennas per quatuor partes habebant, quia in cunctis mundi regionibus prædicantes demonſtrant quidquid de humanitate, quidquid de divinitate noſtri Redemptoris ſentiunt.*

*Nihil ſapientibus potius debet eſſe, quàm acceptam à Deo ſapientiam in omnes Mundi plagas derivare.*

S. Gregor.

1049 Expreſſum ſapientum Chriſtianorum ſimulachrum habes apud Joannem Apoc. 10. v. 1. *Angelum fortem deſcendentem de cælo, amictum nube, & iris in capite ejus; & facies ejus erat ut Sol, & pedes ejus tanquam columnæ ignis. Et habebat in manu ſua libellum apertum: & poſuit pedem ſuum dextrum ſuper mare, ſiniſtrum autem ſuper terram.* De cælo deſcendere dicitur, quia inde ſanctimonia, ſapientia, & fortitudo illius: vel quia priùs cælos aſcendit ad conſulendum Deum, deinde ad erudiendum populum in terras deſcendit. Facies ejus inſtar ſolis fulgentiſſimè ſplendet ob ſuſceptam è cælo ſapientiam, quæ *eſt ſpecioſior ſole.* Sapi. 7. 29. Et à qua Chriſtianæ reipublicæ Doctores *ſoles* appellantur Iſai. 54. 12. juxta Hebræam tranſlationem: *ponam jaſpidem ſoles tuos.* Nube amicitur, quæ à ſole, cujus pervia erat radiis, ſplendorem mutuabatur, eidem quoque jucundiorem ſpeciem rependebat. Nube, inquam, copioſiſſimo doctrinæ Evangelicæ imbre gravidâ. Parvus illi eſt in manu liber apertus, qui ſacram omnem ſcripturam portendit. A terra in mare proficiſcitur; à Judaico populo ad Gentilium, ut nonnulli exponunt: igneis utique pedibus, & latè tonans. Quid rei hoc eſſe dicam? Certè proprium miniſtri Evangelici exprimitur munus, qui ſuſceptis à Deo ſolaribus divinæ ſapientiæ luminibus, & copioſis Chriſtianæ doctrinæ imbribus, & illuminare, & fæcundare debet mundum univerſum; atque in utroque Judæorum, & Gentilium populo ardentiſſimum Evangelicæ prædicationis ignem accendere. Non ei ſit terra adeò inacceſſibilis, non mare ſic impenetrabile, quò non perveniat pes Evangelizantis ſalutem. Totus ad inſtar ſolis ſplendidus ſit, ut ſapientiâ ſuâ diſpellat ubique falſitatis tenebras, & veritatis lucem impertiatur. Totus nube veſtitus, totus roſcidus, ut doctrinæ pluviâ terram irriget, ac fæcundet, aperiendo Scripturarum libro.

Apoc. 10. 1.

*Sapientis ſimulachrum ſua ſapientia Orbem illuminantis.*

P. Ildeph. de Flores in Eccleſ.

Iſai. 54. 12.

1050 Ad hoc Evangelicorum miniſtrorum munus myſticè ſpectabat Job c. 37. 11. cùm ajebat: *Frumentum deſiderat nubes, & nubes ſpargunt lumen ſuum.* Ex Hebræo vertas: *Negotiū & labor rigandi incumbit nubibus.* Vel etiam, *propter frumentum laborant nubes.* Quaſi dicat: Hæc una res nubibus negotium faceſſit: hoc proprium illarum munus; fatigari nempe & laſſari, ut opes ſuas profundant, ac ſeipſas impendant, & ſuperimpendant in uſus, & commoditates mortalium, rorem emittendo, ac pluviam fæcundam, & pinguem. Nec terræ ſolùm irrigationi, & fæcunditati incumbunt, ſed illuminationi etiam: *& nubes ſpargunt lumen ſuum.* Nubes enim ſparſim, diviſimque lumen tranſmittunt, diverſis radiis, & crebris intermicationibus erumpentibus. Videtis hoc ſtudium, hanc operam, hunc laborem, hoc munus imbriferarum nubium? Hoc illud eſt, quod multo labore, & fatigatione curare debet Doctor Evangelicus. Negotium rigandi, & illuminandi omnes mundi plagas ei incumbit. Annuit Magnus Gregorius ibi lib. 27. *Prædicatores ſancti nubes ſunt, nubes videlicet per doctrinam; nubes quia verbis influunt. Nubes verò lumen ſpargere eſt prædicatores ſanctos exempla vitæ & loquendo & agendo dilatare.* Scalam item Jacobeam hùc revoces, ubi Angeli aſcendentes & deſcendentes ſunt Eccleſiæ Sapientes, qui in cælum priùs aſcendunt, ut à Deo hauriant ſapientiam, ac deinde deſcendunt, ut illam in alios derivent, alienæ ſalutis cupidi. Sic data Jacobo inſpectanti *ſcientia Sanctorum.*

Job. 37. 11.

*Sapiens ad inſtar imbriferæ nubis intermicantis.*

Gen. 28. 12.

Sapient.